



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Conclusio affirmativa statuitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

Castillo in presenti disp. 3. quæst. 2. secuti Scotum in 3. dist. 19. quæst. unicâ, & in 4. dist. 15. Oppositum docent omnes Thomistæ, tam recentiores, quam antiqui, unde fit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, satisfactionem Christi esse valoris simpliciter infiniti in genere moris.

48. Probatur primò ex Clemente VI. in extravaganti *Puigenitus, de penitentis, & remissionibus*, ubi affirmat unicam sanguinis Christi guttam, propter unionem humanitatis cum Verbo, pro totius humani generis redemptione sufficere potuisse. Ubi nota verba illa, *propter unionem*, quæ apertè declarant, merita & satisfactiones Christi fuisse infiniti valoris ab intrinseco, & non propter acceptationem Dei extrinsecam. Nota etiam Pontificem ibidem asserere, ob talem infinitatem meritum & satisfactionem Christi, non esse metuendum, ut peccatorum multitudinem exhauriantur. Verba ejus sunt: *De cuius consumptione* (scilicet thesauri Ecclesiæ) *aut diminutione, non est aliquatenus formidandum, propter infinita merita Christi*: si autem illa non essent valoris simpliciter & ab intrinseco infiniti, posset formidari, ne peccatorum multitudinem tandem exstinguerentur, aut consumerentur, ut infra ponderabimus, expendendo tertiam probationem nostræ conclusionis: Ergo &c.

49. Probatur secundò ex D. Thoma infra quæst. 48. art. 2. ad 3. ubi hæc scribit: *Dicendum quod dignitas carnis Christi non est estimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam*. Ubi cum D. Thomas sine ullo addito diminutione loquatur, non est cur ad infinitatem secundum quid, vel solum extrinsecam, seu ab extrinseca solum Dei acceptatione provenientem, illius verba coarctentur.

50. Probatur tertio ratione: Satisfactioni quæ in valore non est simpliciter infinita, vis satisfactoria pro culpis syncategorematicè infinitis competere nequit: At satisfactio Christi gaudet vi satisfactoria sufficiente pro peccatis syncategorematicè infinitis: Ergo in ratione valoris satisfactorij est infinita simpliciter. Minor est certa, tum quia si satisfactio Christi talem vim non haberet, ejus sufficientia in determinato numero peccatorum terminaretur, & consequenter posset formidari, ne tantum multiplicarentur peccata, ut terminum præfixum excederent, & satisfactio Christi exstingueretur, quod repugnat verbis Clementis VI. suprà relatis. Tum etiam, quia cum peccatum Adæ de se sufficiens sit inficere infinitos homines, si nascerentur ex ipso Adam; si Christi satisfactio non esset de se sufficiens ad delenda omnia mundi peccata, quantumcumque in infinitum multiplicarentur, esset minor illo, quod est contra Apostolum ad Roman. 5. Major verò in qua est difficultas, sic ostenditur. Vis effectiva physica effectuum inæqualis perfectionis usque in infinitum syncategorematicè, non potest causæ non infinitæ physice convenire, unde omnipotentia Dei infinitatem ex eo colligunt Theologi, quod ad effectus syncategorematicè infinitos inæqualis perfectionis extenditur: Ergo pariter vis effectiva moralis effectuum inæqualium sine termino, convenire nequit actioni quæ in genere moris simpliciter infinita non est.

Tom. IV.

A Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Effectus nequit causæ perfectionem excedere: Ergo effectus infinitus nequit in causa finita contineri, & consequenter ut aliqua causa habeat vim causativam effectuum in infinitum multiplicabilium, debet habere infinitatem physicam, si continentia sit physica; moralem verò, si continentia sit moralis; subindeque, si satisfactio Christi gaudeat vi satisfactoria sufficiente pro culpis syncategorematicè infinitis, continebit valorem moralem simpliciter infinitum. Sicut si esset pecunia tanti valoris, quæ sola sufficeret ad emendum quascumque res, quantumvis in valore & pretio crescerent, illa requireret infinitum valorem. Et charitas quæ immutata manens, potens esset elicere actus intensiores & intensiores in infinitum, esset actu infinite intensa.

B Respondent Scotistæ, quod ut satisfactio Christi sit sufficiens pro culpis syncategorematicè infinitis, sufficit quod sit superioris ordinis ad offensam, cum res inferioris ordinis, quamvis infinita, adæquare nequeat id quod in superiori ordine existit.

C Sed contra primò: Esto in physicis res ordinis inferioris adæquare nequeat id quod in superiori ordine existit, in moralibus tamen hoc universaliter verum non est, ut constat in actibus misericordiæ, vel justitiæ, qui specificè inferiores sunt actui charitatis, & tamen plures actus repetiti misericordiæ & justitiæ, vel actus magnæ intentionis, adæquare & excedere possunt in valore meritorio unum actum charitatis. Peccatum etiam charitati oppositum, est gravius specificè peccatis oppositis aliis virtutibus; & tamen peccata aliis virtutibus opposita, sæpius repetita, vel intensissimo conatu patrata, excedere possunt in gravitate unum peccatum contra charitatem commissum: Ergo si valor satisfactionis Christi non sit infinitus simpliciter, quamvis sit superioris ordinis ad offensas ab hominibus commissas, poterit tamen offensarum multitudine adæquare, & consequenter exstingui.

D Secundò, Esto infinita ordinis inferioris nequeant physice adæquare rem ordinis superioris, in illa tamen, nisi physice sit infinita, efficienter contineri non possunt; alias ex continentia effectuum sine termino in divina omnipotentia, non colligeretur ejus infinitas, sed solum quod esset in ordine superiori ad res omnes creabiles constituta: Ergo pariter, esto infinita ordinis inferioris in genere moris, adæquare nequeant id quod existit in ordine superiori, in illo tamen moraliter effectivè contineri non poterunt, nisi in illo ordine illud infinitum sit; unde cum satisfactio condigna pro culpis mortalibus syncategorematicè infinitis, contineat effectivè moraliter remissionem peccatorum sine termino, non solum est ordinis superioris, sed etiam in genere moris simpliciter infinita.

E Denique suaderi potest conclusio ratione quam insinuat D. Thomas hic art. 2. ad 2. quodlib. 2. art. 2. in argum. *sed contra*, & in 3. dist. 20. quæst. 1. art. 2. in corpore. Tanto major est valor satisfactionis, quanto major est dignitas personæ satisfaciendæ: Sed dignitas personæ Christi satisfaciendæ, est simpliciter infinita: Ergo & valor satisfactorius operationum ejus est infinitus simpliciter. Minor est certa de fide. Major verò sic ostenditur. Satisfactio pro offensa seu injuria, de qua hic est sermo, fit per exhibitionem honoris & reverentiæ: Sed honor eo est major, quo dignior

H h h ij

est persona honorans; quâ de causâ honorari à Rege, magis æstimatur quàm honorari ab equite; & magis ab hoc, quàm à plebeio, quia honor est in honorante: Ergo tantò major est valor satisfactoris, quântò major est dignitas personæ satisfaciens.

54. Hinc rationi, quæ præcipua & fundamentalis est, respondent primò Scoti Discipuli, satisfactori- nem non crescere arithmetice, ad incrementum dignitatis personæ satisfaciens (hoc est æqualem dignitatem cum illa participando) sed geometricè tantum, & secundum proportionem; id est taliter quòd si persona satisfaciens superior sit, illius etiam satisfactorio, satisfactori- personæ inferioris excedat; subindeque ex hoc quòd persona Christi satisfaciens, sit infinita dignitatis, non sequi illius satisfactori- esse infiniti valoris, sed solum omnes personæ creatæ satisfactori- nes excedere.

55. Sed contra: Si satisfactorio non crescit arithmetice, sed tantum geometricè, ad incrementum dignitatis personæ satisfaciens, poterit adeò crescere satisfactorio pura creaturæ, ut in valore & dignitate Christi satisfactori- adequet: Sed hoc dici nequit, ut fatentur Adversarij: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur, argumento ad hominem, desumpto ex principiis Adversariorum, qui docent quòd offensâ non crescit arithmetice, ad incrementum personæ offensæ, sed solum geometricè; ex quo inferunt, offensam contra Deum commissam, tantæ gravitatis non esse, ut pro illa à pura creatura condigna satisfactorio exhiberi non possit. Probatur, inquam, sequela argumento desumpto ex illo Adversariorum principio: Si enim distantia personæ divinæ offensæ, à persona creatæ satisfaciens, non obstat quominus satisfactorio adequare possit offensam, quia persona cui irrogatur non dat illi infinitatē: etiam distantia personæ Christi satisfaciens à persona satisfaciens creatæ, impedire non poterit, quin satisfactorio creaturæ adequare valeat Christi satisfactori- , quandoquidem persona infinita satisfaciens, juxta Adversarios, non dat satisfactorio suæ valore infinitum.

56. Respondent secundò Scotistæ, quòd sicut licet objectum infinitum, quantum est de se, possit communicare actui infinitam perfectionem; si tamen principium elicivum actus finitum sit, limitat influxum objecti, ne actui suam infinitatem communique: ita licet persona Christi satisfaciens, possit quantum est de se dare infinitatem actui satisfactorio, quia tamen operatur medio principio quo limitato, nempe naturâ humanâ, impeditur ab illa, ne actibus suis satisfactoriis infinitum valorem communique.

Sed contra primò: Plus ad satisfactori- dignitatem confert persona satisfaciens, quàm objectum; unde obsequium à Rege exhibitum, regium censetur, non autem obsequium Regi exhibitum ab alio; & operationes Christi, *Theandricæ* & *Dei-viriles* appellantur, cum tamen operationes quæ Deum ut objectum respiciunt, tali denominatione non gaudeant: Ergo ex objecto, ad personam satisfaciens efficac argumentum desumi nequit.

Secundò, Et si principium quo eliciat entitatem actuum, dignitatem tamen, seu valorem morale, à persona desumptum non causat: Ergo licet limitatio principij quo elicientis, limitet actus Christi Domini, quantum ad perfectionem physicam illorum, non tamen quantum ad dignita-

tem & valorem morale, qui ipsis competit ex dignitate personæ: Unde ex eo quòd persona Christi non influit in suas operationes immediate, sed medio principio quo finito & limitato, nimirum humanitate assumptâ, non rectè colligitur, quòd illis infinitum valorem communicare nequeat.

Ad majorem hujus assertionis intelligentiam, & plurium argumentorum solutionem, diligenter observandum est, quòd sicut in Rege aliquæ sunt actiones, quæ non sunt reflexivæ supra suppositum Regis à quo eliciuntur, & quæ proinde, cæteris paribus, non sunt majoris dignitatis in Rege, quàm in rustico, ut comedere, dormire, deambulare &c. Aliæ verò, quæ redundant in ipsam personam Regis, à qua proinde maximum trahunt valorem & dignitatem, ut genuflexio, petitio veniæ, & aliæ similes actiones, quibus ipsa persona Regis subjicitur, & humiliatur. Ita similiter in Christo duo erant genera actionum; aliæ enim erant, quæ supra suppositum Verbi Divini non reflectebantur, ut deambulatio, comestio &c. Aliæ verò, quæ in personam ipsius redundabant, & supra divinum suppositum reflectebantur; quales erant actus obedientiæ, humilitatis, religionis, gratitudinis, satisfactoriis, & aliæ similes; quibus ipsum divinum Christi suppositum, in natura assumpta sese Deo subiciebat, quæ operationes vocari solent à Theologis, cum Dionysio lib. 2. de divin. nomin. *Theandricæ*, seu *Dei-viriles*, vel cum Damasceno, *Deificæ*; sicut actiones quæ procedunt ex imperio & dictamine rationis, à Theologis, *humana* appellantur. Actiones ergo primi generis in Christo non erant infinitæ dignitatis, quia cum non essent reflexivæ supra suppositum Verbi Divini, ab eo non poterant trahere infinitum valorem; bene tamen operationes secundi generis, quia tales actiones reflexivæ supra divinum Christi suppositum, non constabant ex solis Christi operationibus præcisè sumptis, sed ex operationibus & persona Christi, ut moraliter informante tales actiones, & cum ipsis unam integram satisfactori- constituent; ac proinde tantæ erant dignitatis & æstimabilitatis, quantæ erat ipsum suppositum Christi, quòd cum esset infinitæ dignitatis, & perfectionis, communicabat hujusmodi actionibus infinitum valorem. Ex quo facile intelliges, quid sit infinitas, seu infinitus valor satisfactori- Christi, non est enim aliud quàm relatio quædam transcendentalis, quam dicunt actiones Christi *Theandricæ* & satisfactoriæ, ad infinitam Christi personam, ut ad principium quòd per eas humiliat & Deo submissum.

§. II.

Præcipue objectiones solvuntur.

Obijcies primò: In merito Christi Domini non est vis meritoria in infinitum syncategorematicè: Ergo ex isto capite non rectè probatur infinitas ejus simpliciter, subindeque nec infinitas satisfactori- Christi, cum eadem sit ratio de satisfactori- Christi, ac de ejus merito. Utraque Consequentia patet, Antecedens probatur. Vis meritoria syncategorematicè infinita ea est, quæ quocunque præmio dato non exhauritur, sed ulterius præmiabilis manet: At vis meritoria Christi, talis non est: Ergo non est infinita syncategorematicè. Minor probatur: si Pater carnem assumeret intuitu alicujus operis Christi, vis meritoria talis operis exhausta maneret; tunc